

346

344

350

lus majoris difficultatis est. Circa ejus determinationem dicam ea, quae legi in antiquis et modernis peregrinalibus. Nolle enim ex propriis quicquam temere asserere, quod devotionem ad dominicum sepulchrum posset tollere aut diminuere in Christi fidelibus. Porro, difficultas in hac re resultat ex diversis et differentibus sancti sepulchri descriptionibus antiquorum et modernorum. Venit etiam ex diverso statu civitatis Jerusalem et crebris ejus devastationibus, ex desiderio etiam et devotione ipsum sepulchrum visitantium et aliquid de eo reportare pro magnis reliquiis quaerentium. Ex vestitu etiam ipsius sepulchri ambiguitas surgit, cum nec intus nec extra, nec in monumento, nec in sarcophago quicquam apparet de rupe vera et petra, sed totum, ut patuit, est candido et polito marmore vestitum et ornatum, quod ab initio non fuit. Videamus ergo, quid alii de hoc sentiant, et quod magis rationabile est, imitemur.

Quidam Sanctus, dictus Alculfus, qui visitavit dominicum sepulchrum et longe ante tempora latinorum regum Jerusalem, ut mihi videtur, in Jerusalem fuit, antequam post Eraclium imperatorem civitas sancta esset per Saracenos capta, hic in suo libello sic dicit. In spatio medio rotundae interioris ecclesiae rotundum inest in una eademque petra excisum tugurium, in quo possunt homines stare et orare, et a vertice arcus non brevis statura hominis usque ad illius domunculae cameram aut arcuaturam pes et semipes mensura in altum extenditur. Hujus tugurioli introitus ad (128 A) orientem respicit, et totum extrinsecus electo marmore tegitur, cuius summum culmen auro ornatum auream non parvam sustentat crucem. In hujus tuguri aquilonari parte sepulchrum Domini in eadem petra excisum habetur intus, sed pavimentum humilius est loco sepulchri. Hoc tugurium nullo intrinsecus ornatum est, sed per totam ejus cavaturam ferramentorum ostendit vestigia, quibus dolatores in eodem usi sunt opere. Color vero illius ejusdemque petrae, monumenti et sepulchri duo permixti sunt, rubeus et albus, inde et bicolor eadem ostenditur petra. Insuper hoc sepulchrum simplicem facit lectum capacem unius hominis, super dorsum jacentis, in modum speluncae introitum habens ad australem monumenti partem

340

355

335

395

295

445

245

Ende

Anfang

